

1158 earum sibi in servitutem redegerant. Quod ad voluntatem eorum fit; in medio civitatis destructe figuntur sententia.¹ Tunc civitatis imperator destructionem considerans magis destructionem parat Mediolani. Interea domino imperatore cum rege Boemie et aliis principibus, quid de tanta audacia Mediolanensium faciendum sit, per-

Arg. 2 tractante laudenses episcopo, canonicis, monachis, clericis, monialibus, viduis et aliis pauperibus sibi adhibitis in conspectu domini imperatoris et suorum principum progrediuntur et secundum consuetudinem eorum singuli singulas cruces portantes ad pedes domini imperatoris prosternuntur et, ut civitatis sue destructionem et eorum miseras aspiciat et emendare dignetur, exorant. Quam ad hoc emendandum non solum eorum movent lacrimae, sed etiam civitatis eorum destructio, ecclesiarum quoque desolatio. Imperiale etenim monasterium, sedes episcopalis, in qua sanctus Bassianus, gloriosissimus confessor et illius loci episcopus, quiescebat, et alia plurima monasteria tam monachorum quam monialium servituta a divino officio vacabant. Dum haec geruntur, Mediolanenses ad curiam domini impera-

Arg. 4 toris cum eis conducti veniunt de his omnibus domino imperatori satisfactionem offerentes. Principes eorum verba

1) Dougenen Otto Mor. 50, 10.